

licet humanitatem, et non totum Christum, ideo non est reduplicatio. Et antecedens probatur, quia de inesse debet esse vera in propositione reduplicativa; et cum de inesse contineat totum subjectum etiam in reduplicativa, reduplicatio debet cadere supra totum subjectum: et in præsentî, quia ista: Christus est creatura, est falsa, et debet esse præjacens, et prima exponens illius reduplicativæ, sequitur quod reduplicativa sit falsa.

XVII. Vazquez vero non aliter probat nisi ex acceptione dialecticorum, quod reduplicatio idem est, quod reapplicatio supra subjectum, et etiam, quia *ly* in quantum, reduplicative sumptum explicat perseitatem; ita quod denotatur, quod taliter prædicatum convenit significato, quod reduplicatur, ut illi conveniat secundum quod est tale, et quia creatura non convenit humanitati soli tamquam prædicatum primo, et per se formaliter, et immediate proprium illius, non est reduplicatio. Ex quo patet idem esse fundamentum ad negandam reduplicationem in Scoto, et Vazquez, scilicet hoc principium, quod reduplicatio non debet esse supra partem subjecti, sed debet esse supra totum.

XVIII. Respondetur nullum esse principium ad negandam reduplicationem supra aliquid subjecti, et S. Thomas in corpore hujus articuli expresse dicit in dicta propositione, quod: « Nomen potest sumi in reduplicatione, vel ratione suppositi, vel ratione naturæ, » ubi ponit reduplicationem, et supra naturam, et supra suppositum divisive. Et ad impugnationem, quod reduplicatio non debet minuere, subtiliter distinguit Cajetanus, quod minuere stat dupliciter, uno modo taliter, quod tollat terminum, sicut homo pictus, mortuus, vel in potentia, et de hac verum est, quod non potest facere

reduplicationem: si vero non sit propria diminutio, sed large, hoc est, determinatio, seu partitio, potest esse reduplicatio, ut in exemplis allatis in probatione conclusionis.

XIX. Et ad illud de præjacente respondetur, quod quando reduplicatio est totalis præjacens, debet esse vera, in hoc enim sensu procedit regula dialectica; quando vero est partialis in præjacente debet poni terminus significans solum per modum partis, ratione cujus fit reduplicatio, et in illo sensu etiam præjacens reduplicative partialis erit vera, et in præsentî præjacens non est quam ponit, scilicet: Christus est creatura, sed ista: Christus secundum humanitatem est creatura.

XX. Ad Vazquez respondetur, quod nulla est regula dialecticorum, quod reduplicatio non possit esse partialis, ut patet ex loco allato proxime ex D. Thoma. Neque est necessarium, quod prædicatum conveniat primo, et per se, et immediate, sed potest esse mediatum, sicut in ista: Petrus in quantum homo est risibilis, admirativus, etc. quæ non sunt prædicata immediata, nec per se formaliter essentialiter, sed tamquam passiones; et etiam substantia, vivens, animal sunt prædicata essentialia, et per se hominis, et tamen non sunt immediata, nec ita propria illius, quod non possint aliis convenire; et ita hoc prædicatum creatura, est prædicatum essentialia humanitatis, imo transcendens, et imbitum essentialiter in ipsa, quod non habent alia prædicata dicta, et hoc sufficit ad reduplicationem.

XXI. Imo contra Vazquez est clara contradictio in ipso, tenet enim loco allato articulo præcedenti, quod hæc propositio: Christus incipit esse, est vera, quia ut inquit in illo capite quarto referendo se ad caput secundum ejusdem disputationis,

*ly* Christus potest accipi, et pro persona, et pro natura, sicut iste terminus homo, vel Jesus; est enim doctrina ejus communis pluribus locis, quod nomina non solum in abstracto, sed etiam in concreto supponunt pro natura, et hoc quidem dicit de hoc nomine Christus, quod supponit pro natura, et quia natura incipit esse, inquit quod Christus incipit esse. Ergo etiam potest dici, quod Christus est creatura in eodem sensu sumendo Christum, quia quod incipit esse, creatura est, et quia si supponit pro natura, natura creatura est; ergo etiam illa erit vera: Christus in quantum homo est creatura; tum, quia concedere istam: Christus est creatura, nullam apparentiam habet, si quidem omnes exponentes sunt veræ, specialiter prima, quæ est præjacens propter quam Scotus negabat reduplicativam; tum, quia iste terminus homo significat naturam humanam, et supponit pro illa in Christo, ut Vazquez dicit, et etiam iste terminus Christus supponit pro eadem natura humana solum quando verificatur quod incipit esse, ut dicit Vazquez; sed si dicamus Christus in quantum Christus est creatura, vel incipit esse, est vera secundum ipsum; ergo etiam ista: Christus in quantum homo est creatura, vel incipit esse. Patet consequentia, quia reduplicatio in utraque, quantum ad rem est eadem, quia eadem est natura importata, et suppositum utriusque termini; ergo quantum ad rem debet esse eadem veritas, quia ab eo quod est in re propositiones sunt veræ; et si eandem veritatem significant, et pro eodem supponunt, sunt æqualiter veræ.

XXII. Nec potest fugere Vazquez vim hujus contradictionis recurrendo ad illam doctrinam, quod reduplicatio debet cadere supra eundem terminum, quia præterquam quod hoc est falsum, ut visum est in

exemplis allatis pro conclusione, ut Petrus in quantum homo est rationalis, est reduplicatio, et non est supra terminum Petrus; in præsentî Christus, et homo, ut ipse inquit supponunt pro eadem natura, et ideo est idem ac si esset terminus, quia ideo ipse petit repetitionem ejusdem termini non propter vocem solum, quia hoc esset nominale, sed propter rem; si ergo repetatur eadem res in alia voce, erit eadem ratio ac si esset idem terminus, vel idem nomen.

## ARTICULUS XI.

*Utrum hæc sit vera: Christus in quantum homo est Deus?*

I. Prima conclusio: Si *ly* in quantum reduplicet supra suppositum est vera: si super naturam est falsa; et absolute magis est falsa quam vera.

II. Secunda conclusio: Hæc propositio: Christus in quantum hic homo est Deus, est vera. In solutione ad tertium.

III. Utraque conclusio probatur a D. Thoma, quia si *ly* in quantum homo determinet naturam humanam, cum natura non sit Deus, falsum est dicere, quod secundum humanitatem est Deus, quod etiam in argumento Sed contra probavit, quia alias omni habenti naturam humanam conveniret esse Deum. Si autem sumatur pro supposito est vera, quia suppositum est divinum, et absolute secundum proprietatem termini reduplicati accipitur pro natura, sicut articulo præcedenti dictum fuit, et ita sicut ibi conceditur, quod absolute est creatura cum reduplicatione, ita hic negatur, quod sit creator cum eadem reduplicatione simpliciter, seu Deus. Secundam vero conclusionem probat

D. Thomas, quia illud pronomen hic determinat suppositum, et ideo absolute cum illo addito est vera.

IV. Contra hanc secundam conclusionem Durandus in III, dist. X, quæst. I, tenet, quod hæc propositio: Christus in quantum hic homo est Deus, est falsa. Ejus fundamentum est, quod illud complexum hic homo, denotat naturam singularem, quod probat, quia ly homo solum significat naturam communem, et illud pronomen hic singularizat significationem, et ideo reduplicatio in quantum hic homo, idem est ac si diceret secundum hanc humanitatem, et ideo inquit, quod est falsa.

V. Vazquez sequitur Durandum hic disput. LXIX, cap. I, quantum ad substantiam ex illa sua communi doctrina in duobus præcedentibus articulis impugnata, quod nomina concreta supponunt pro natura, et sic, quod homo supponit pro humanitate, et hic homo pro hac humanitate.

VI. Suarez in commentario hujus articuli inquit, quod hæc doctrina Durandi est probabilis propter id quod ipse Suarius dixerat articulo præcedenti, scilicet quod hic homo non determinat suppositum singulare, sed subsistens ut sic in humanitate singulari. Ecce in ratione differt a Durando Vazquez, quia Suarez non inquit supponere pro natura sicut illi, sed pro subsistente in communi cum connotatione ad naturam singularem.

VII. Sed tota hæc doctrina jam impugnata est, articulo præcedenti, et quidem hoc fundamentum Suarii sufficienter ibidem exclusum fuit circa tertiam partem conclusionis ante dubium. Fundamentum vero Durandi, et Vazquez etiam fuit exclusum articulo præcedenti, et etiam articulo octavo.

VIII. Sed evidentius comprobatur

specialiter ad hominem contra Vazquez, qui disp. LXVII, cap. II et IV asserit, quod Christus, homo, Jesus, accipiuntur pro natura, et hic homo pro hac natura singulari, et ideo negat hanc propositionem, quod: In quantum hic homo est Deus, quia hic homo est hæc natura, quæ non est Deus; ergo etiam hæc est neganda simpliciter, et absolute: Jesus est Deus, seu Filius Dei. Patet, quia Jesus, ipse inquit, quod supponit pro natura sicut homo; hoc est contra illud Joannis ultimo: *Ut credatis, quod Jesus est Filius Dei.* Et etiam ista erit falsa: Christus est Deus, quia ly Christus supponit pro eadem natura humana, quæ non est Deus. Et etiam reduplicando Christus in quantum Jesus, vel in quantum Christus est Deus, erit falsa, quod est absurdum in theologia, et in fide, et etiam in dialectica ut diximus articulo nono, ubi exclusum est principium hujus falsæ doctrinæ, quod nomina concreta supponant pro natura, et contra communem modum concipiendi est dicere, quod humanitas est homo, et quod humanitas operetur ut quod sicut homo, de quo non est hic ex professo disputandum.

#### ARTICULUS XII.

*Utrum hæc sit vera: Christus secundum quod homo est hypostasis, vel persona?*

I. Prima conclusio: Si ly secundum quod homo accipitur ratione suppositi est vera. Patet, quia suppositum est Persona Filii Dei; iste tamen sensus est minus proprius, ut habet S. Thomas in duplici articulo præcedenti, propter quod absolute creatura concedebatur, et Deus negabatur sub illa reduplica-

II. Secunda conclusio: Si accipitur ratione naturæ potest esse falsa in diverso sensu. Explicatur sensus congruus hujus propositionis: Christus secundum quod homo est persona, intelligendo reduplicationem ratione humanæ naturæ non potest esse sic, quod ipsa natura humana sit persona, certum enim est, quod humanitas distinguitur realiter a persona in Christo, imo in aliis distinguitur realiter a subsistentia, sive a personalitate, et a persona creata tamquam pars a toto, et sic non est ipsa persona, ut docet S. Thomas quæstione sequenti, articulo primo in corpore; debet ergo sensus esse, ut explicat S. Thomas hic in corpore: Quod naturæ humanæ competat esse in aliqua persona, et sub hac intelligentia potest esse vera, et falsa. Vera erit si solum dicatur est aliqua persona absolute, quia id, quod subsistit in humana natura est persona, et sic natura humana in Christo est in aliqua persona, utpote in Persona divina. Si vero determinetur persona creata, vel propria personalitas, hoc est, causata ex principiis ipsius naturæ, seu in persona constituta per istam personalitatem, est falsa, quia in Christo nulla est alia persona, aut personalitas nisi divina, et increata secundum fidem, quæ non est connaturalis, nec causata ex principiis propriis naturæ. Hic est sensus D. Thomæ, qui etiam accipitur tam ab antiquis, quam a modernis. Tenet Durandus in III, dist. X, quæst. I; Richardus art. I, quæst. I; Gabriel quæstione unica, art. VIII; Major quæstione unica; Marsilius quæst. VIII, artic. III; Alensis III part. quæst. VI, membro III; Altisiodorensis lib. III summæ, tractatu I, cap. I, quæst. VIII; Suarez in commentario hujus articuli, quam-

vis dicat esse sensum specificativum ut allatum est in duobus articulis præcedentibus, et ibi impugnatus fuit quantum ad hoc, quia iste est etiam sensus reduplicativus. Sequitur etiam Cajetanus, Medina, et alii moderni in hoc articulo.

III. Vazquez autem non potuit non in hoc mordere D. Thomam, dicit enim hic disp. LXIX, cap. II, numero VII, non posse istam propositionem facere sensum istum secundum positum in ista secunda conclusione a D. Thoma, non tamen id probat, sed solum id negat, quia non videt ut ipse inquit. Sed tamen ratio est clara, quia iste terminus homo significat humanitatem non in abstracto, sed in concreto; sed certum est, quod in concreto includit suppositum, quod non potest negare Vazquez, etiam in illa sua falsa doctrina in articulis immediate præcedentibus impugnata, quod nomina concreta supponunt pro natura, quia etiam admittit connotare suppositum actuale, quod non habet quando significatur in abstracto: cum autem in præsentia fiat reduplicatio supra ly homo, qui est terminus concretus, potest accipi, et debet cum natura suppositata, et non a supposito separata actualiter; ergo potest esse sensus verus, vel falsus. Verus si intelligatur de Persona divina, quia ita est, quod personatur a Persona divina: falsus si intelligatur de supposito creato, aut connaturaliter debito, seu de persona constituta per personalitatem causatam ex principiis intrinsicis talis humanitatis. Si quæ tamen argumenta excogitari possunt, facile solvuntur ex hac doctrina, et ex tradita in articulis præcedentibus, in quibus explicatur sensus hujus reduplicationis in quantum homo.